



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Sextvm. Ecclesia semel Deo consecrata quando est iterum consecranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

QVINTVM.

Ex propinquitate sui sanguinis vel vxoris, usque in septimum gradum, nullus ducat uxorem.

35. q. 2. & 3.
Nullum in
utroque.
Et in deo.
Iuo. lib. 7.
sub titulo
Aurelia-
nenis Con-
ciliis, Can. 10

Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel vxoris, usque in septimum generis gradum, vxorem ducere, vel incesti macula copulari. Præterea quoque illud adiecimus, quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate vxoris suæ coniugem ducere propter carnis unitatem.

SEXTVM.

De consec.
distinct. l.
De fabri-
ca vero.

Ecclesia semel Deo consecrata quando est iterum consecranda.

De fabrica vero cuiuslibet ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda, & si in eo loco consecrationis solennitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, si per eam minime iactetur aqua exorcizata, quia in consecratione cuiuslibet ecclesiæ, in qua Spiritus sancti arra non ponitur, celebratatem scimus tantum esse Missarum. Et ideo, si qua sanctorum basilica a fundamentis fuerit innouata sine altaris motione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Missarum solennitas celebrata, totius consecratio sanctificationis implebitur. Si vero sanctuaria quæ habebant ablata sunt, rursus eorum depositione, & Missarum solennitate, reuerentia sanctificationis accipiat.

SEPTIMVM.

De his qui sacrificando varie errabant.

De consec.
distinct. l.
Cum om-
ne. Et in
deco. Iuo.
lib. 1.

Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cetero pro expiatione delictorum Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audiuiimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & apostolicas institutiones lac pro vino in diuinis sacrificiis dedicare; alios quoque intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigerere; quosdam etiam expressum vinum in sacramento Domini calicis offerre; alios vero pannum lineum multo intinctum per totum annum referuare, & in tempore sacrificii partem eius aqua lauare, & sic offerre; quod quam sit euangelicæ & apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini ecclesiasticæ